

p. 12 loco linearum 160 - 171
sequens vel similis textus
proponitur :

Haec S. Synodus discernens signa temporum non potest non audire voces supplices undequaque ad se pervenientes. Propterea omnes homines, omnes populos, et praesertim populorum Moderatores coram Deo adiurat ut, conscii de gravissima responsabilitate, unitis viribus, et realisticè adlaborent paci stabiliendae. Memores sint praeter alia de his quae sequuntur :

1. Omnes, omni data occasione, loqui debent quae pacis sunt, formando rec tam opinionem publicam, amorem et mutuam aestimationem inter nationes promovendo, virtutes aliarum nationum libenter extollendo, de defectibus non nisi humiliter et aequo animo loquentes ;
2. Omnis sermo disseminans odium, iram, contemptum, aut suspicionem contra aliquam nationem iudicandus est tamquam delictum contra pacem;
3. Moderatores civitatum gravi tenentur obligatione, ut omni opportunitate utentes cooperentur ad conflictus pacifice tollendos, non abhorrendo etiam vera sacrificia, si casus fert; omnes concordēs esse debent de prin cipio morali, quod visis armis modernis omnino evidens est : bellum non esse medium legitimū solvendi conflictus inter nationes; populorum et guberniorum est eligere realisticè media meliora et efficaciora ad bella praecavenda et conflictus pacifice tollendos; inter talia media consideranur organicus progressus in organizatione communitatis mundialis inter nationes liberas, et auctoritas internationalis, quae gaudeat mediis necessariis ad bellum vitandum et ordinem turbatum restabiliendum.
4. Quicumque - quavis ratione vel intentione - bellum nucleare inciperet tamquam scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus esset;
5. Omnes proinde conatus honesti faciendi sunt, ut non solum bellum nucleare ab omnibus nationibus et coetibus solemniter proscribatur tamquam immane crimen, sed etiam ut arma nuclearia, biologica, et chimica om nino eliminentur et supprimantur, et ut exercitus nationales quam maxime minuantur.

De historia, stilo, methodo et spiritualitate

SCHEMATIS XVII

Difficultates et quaestiones a pluribus Patribus Commissionis mixtae propositae exigunt aliquas considerationes de historia, stilo, fine, methodo et spiritualitate huius schematis et Instructionis adnexae, quae adhuc perficienda erit.

I. De historia huius textus

Novis membris, ut apparet, non satis notum fuit, quod iam anno praeterito schema DE PRAESENTIA ECCLESIAE IN MUNDO MODERNO elaboratum a Commissione mixta, ab illa etiam approbatum. Cum tamen tempus valde urgeret, non omnia sic perfici poterant, uti desiderabatur ab ipsis subcommissionibus et Commissione plenaria mixta.

Commissio de coordinandis laboribus Concilii deinde Em. Card. Suenens dedit mandatum, ut loco primi capituli DE DIGNITATE PERSONAE novum textum praeparare faciat, qui aliquomodo tractationem aliorum thematum introduceret. Quod cum eximiis theologis prompte fecit, praebendo documentum ditissimum doctrinae quoad quaestiones vere fundamentales.

Mense decembre 1963 constituta est a Commissione mixta plenaria submissio centralis, quae responsabilitatem assumere debuit pro schemate perficiendo - et quidem schema fundamentale tamquam schema Conciliare, et coordinare labores pro Instructione Adnexa - secundum mandatum Commissionis pro coordinandis laboribus Concilii.

Antequam Submissio centralis inciperet redactionem textus, qui nunc praeiacet, libenter studuit duobus prioribus textibus, et simul plurioribus episcopis, theologis et laicis, quaestiones proposuit circa schema ex his duobus eligendum, circa stilum (nuntii vel tractatus, nuntii pastoralis vel tractatio magis dogmatica etc.), de rebus in textu conciliari et in textibus Instructionis adnexae tractandis, de methodo adhibendo.

Redactores quam fidelissime inhaeserunt doctrinae in prioribus schematibus propositae, et mandato recepto, sequendo pretiosas indicationes, quae ad quaesita data sunt. Mgr Ménager et Mgr Ancel cum theologis et laicis vere peritis duos diversos textus, convergentes autem in spiritu et stilo, elaboraverunt et tamquam indicationem redactoribus miserunt, qui permulta ex his duobus documentis sumpserunt.

II. De stilo

Dictum est nobis, quod stilus debet esse sobrius sed valde differens a tractatu scholae, magis propinquus nuntio doctrinali, qui hauriendo ex thesauro Ecclesiae nova et vetera quodammodo programma doctrinale et spirituale pro dialogo cum mundo moderno esse debet. Regula et norma fuerunt etiam quoad stilum verba Summi Pontificis de Relatione inter Ecclesiam et mundum, verba prolata occasione initii II sessionis Concilii et in nuntio in Bethlehem prolato.

Stilus debet exprimere, quod hic non agitur de monologo ipsius Ecclesiae, sed de exordio dialogi, de praesentia Ecclesiae.

Stilus in Capitibus Instructionis adnexae potest aliquomodo differre, cum ibi magis ad quaestiones particulares descendi debeat.

Vota Patrum Commissionis mixtae generaliter stilum approbant, etsi progressum in aequilibrio quandoque desiderant.

III. De fine schematis

Iam disserendo de stilo finis decisivus considerabatur : Efficax praesentia Ecclesiae in mundo, dialogus promovendus. Schema suum finem non habet, si non ab aliis, etiam extra Ecclesiam, et praesertim a laicis non intelligitur.

Finis schematis secundum mandatum subcommissioni centrali datum non fuit resumendi theses ex capitibus Instructionis adnexae, quae maximam etiam auctoritatem Concilii, etsi diverso modo habere debet. Sed tamen aliquo modo illa instructio adnexa per schema introducenda est.

Bene discuti poterit, utrum non saltem aliquae theses - paucae, ut maiorem vim habeant - in ipsum schema Fundamentale introducendae sint. Imprimis de bomba atomica vel rectius de thesibus concretis quoad pacem stabiliendum iam hodie propositionem discutiendam tamquam responsum Patribus dandum porrigimus.

IV. De spiritualitate

Responsa nobis ex diversis continentibus mundi pervenientia inculcaverunt, spiritualitatem, et non siccam doctrinam, praebendam esse. Talis visio spiritualitatis non ex una sola thesi seligenda est, sed quodammodo tamquam "complexio oppositorum" ("tension harmonieuse") ut totum aliquid accipiendam vel adhuc ad maius aequilibrium perficienda erit. Optimismus versus "mundum" (in sensu creaturae a Deo bene factae, sed sub peccato gementis et participationem libertatis filiorum anhelantis) esset falsus et periculosus sine alio polo, nempe sine spiritu paupertatis et abnegationis. Consilium pastorale vere constructivum necessarie fulcitur per spiritum communitarium etc. Clara distinctio civitatis temporalis et Communitatis Ecclesiae supponit illam claram visionem totalitatis vocationis hominis, ut primum quaerat regnum Dei, sed etiam clare videat, quod etiam Salvatorem mundi per laborem in civitate terrestri glorificare debet (vel aliis verbis, quod salus aeterna ipsa christianos obligat ut sint sal terrae in sensu pleniore).

Communismus non per theses expressas vel agressivas sed per totam praesentationem schematis clare condemnatur.

Melius est enim illam spiritualitatem sereno modo proponere, quae christianos protegit et immunes facit contra errores communismi. Simul continetur responsum positivum ad semina veritatis quae in ipso communismo et in falso personalismo continentur.

ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Prooemium

1. (Ecclesia Concilio congregata quantopere generi humano iuncta sit)

*Solidaridad
de Egl. con la
humanidad*

Gaudium et luctus, spes et angor hominum huius temporis, pauperum praesertim et dolentium, ipsius quoque Concilii sunt angor et spes, luctus atque gaudium. Omnes enim pariter sumus homines, membra populi innumeri, creati ad Dei imaginem, vocati ad unam filiorum Dei familiam in Christo Iesu, qui omnes homines cuiusvis gentis vel linguae, nationis vel condicionis, eodem prosequitur amore. Neminem repudiat, ne ipsum quidem peccatorem, cum nil nisi peccatum persequatur odio. 5

2. (Quae hodie spem praebeant, quae e contra suscitent curam)

Signa temporum

Gaudet Ecclesia de rebus bene gestis ac perspectis, inter quas eminet, quod, in dies magis, omnes homines tamquam membra unius familiae agnoscuntur, atque eadem singulis aestimatio tribuatur. Gaudet Ecclesia de scientiae et technicae artis incremento, quod profecto respondet consilio Dei, qui hominibus terram implendam tradidit atque subiiciendam. 10

Ast neminem fugit, quantum absit genus humanum a vera solutione problematum per evolutam culturam impositorum. Iterum atque iterum oriuntur bella, nec minari desiit bellum omnium funestissimum, quod nucleare dicunt. Nec vera habetur pax, quae fructus sit caritatis et iustitiae, dum innumeri homines, bonis terrae iniuste distributis, in famem detruduntur atque miseriam; dum inter ipsam opulentiam, passim ratio vivendi ac se recreandi, ab humana dignitate aliena, impediatur, ne singuli homines eorumque familiae sano evolvantur modo. 20

3. (Dubium hominum atque angor)

Quamvis de dominio super naturam in dies aucto iure gloriantur, permulti homines incipiunt dubitare de sensu laborum, et anxii quaerunt, an pax et bonum non in vanum appetant. Ecclesia vero Synodo congregata, omnibus rebus creatis benigna intenta, ut temporum signa agnoscat, sancta cum laetitia in toto hominum genere, non exclusis iis, qui Ecclesiae adhuc adversantur, operationem Divini Spiritus dignoscit. Ipse est, qui hominum mundat corda eaque ducit ad Christum, ut Sua luce illustrata discernant quae bona huius temporis veri sint valoris. 25 30

4. (Ad quos dirigatur hoc Schema et quid intendat.)

Ecclesiae mysterio in se iam considerato, Synodus dilectos Ecclesiae filios adhortatur, ut mundo in Christo Iesu, secundum propositum Patris, in sapientia Spiritus, renovando studeant. Sed ardens desiderium nostrum est, ut, cum unus nobis sit labor, audiamur a dilectis quoque fratribus, qui nondum plene nobiscum uniti, eundem tamen Dominum atque mundi Redemptorem Iesum Christum confessi, paris 35

sollicitudinis testimonia dederunt non pauca. Illos porro alloquimur, qui, Christo nondum cognito, nobiscum Deo vivo et sancto agunt gratias, cuius gloria invisibilis splendore creationis manifestatur. 40
Omnes denique homines bonae voluntatis, etiamsi Deum et, quem misit, Iesum Christum, adhuc ignorent, invitamus, ut nobiscum meditentur, quae Christus de homine docuerit, eisque sincerum Christianorum auxilium offerimus in exstruenda civitate vere fraterna, cui nonnulli ex ipsis iam serio adlaboraverunt. 45

5. (Ecclesia hominibus servitia praebet)

Ecclesia synodo congregata nullo sane modo munus sibi arrogare intendit, quod ei non conveniat, interveniendi nempe in ^{temporalibus} ~~problematibus~~ ^{quae talia} ~~technicis~~ solvendis. Sicut Christus munus arbitri litium terrenarum respuit, nec se regem proclamari admisit, sic Ecclesia hominibus sua relinquit mundana dirimenda negotia. Ecclesia enim, plene agnitis 50 institutionibus civilibus, quibus homines propriam regunt vitam, a cupiditate regnandi ipsa libera sit oportet, unice hominum servitio intenta, quin ignoret res temporales legibus moralibus regi atque spiritualibus. Quibus Ecclesia dat operam, ut omnes homines, a Christo illuminati ac roborati, verae vocationi in hoc mundo plane respondere valeant. 55

Quae vocatio ad veritatem, iustitiam et amorem, ipsum Dominum Iesum Christum intendit, in quo omnia complentur. Quare Ecclesia hominibus omnium temporum mysterium Christi pandit, e quo, ipsis quoque insciis, omnia profluent bona. Ipsum solum Christus praedicat Ecclesia, dum loquitur mundo. 60

CAPUT I

^{integra}
De unica hominis vocatione

6. (Introductio)

Multi huius aetatis homines vitam agunt temporalibus rebus atque profanis unice intenti. E contra christiani nonnulli dubitant, an opera civitati terrenae impensa, non aptius rebus solis supernaturalibus devovenda sit. Quare primo dilucidandum, quanti sint momenti res terrenae in unica hominis vocatione. 65

7. (De officiorum temporalium dignitate)

Christum secuta, Ecclesia nunquam desiit Deo agere gratias pro creationis bonitate, qua revelatur benignitas Patris, qui scit, quibus indigeamus. Filius Dei, Sua incarnatione, non solum naturam humanam, animam et corpus elevavit, sed ipsam generatim materiam. 70 Iesus Christus, per multos annos laboriosam humilium agere voluit vitam, ut impleret Dei voluntatem terrae hominibus subiiciendae. Propterea Ecclesia ipsum laborem, quamvis propter peccatum hominibus oneri sit, necessario magni facit, cum et ipse sit fons humanae perfectionis et instrumentum magni divini consilii, totius 75 creaturae, homini ab initio subiectae, et in Christo restaurandae.

Dei enim circa mundum consilia complentur amore, quo iubemur sollicitudinem Patris erga omnes homines induere, et quo vetamur stare otiosi, ubicumque agitur de nobili desiderio implendo, a Deo naturae nostrae inserto. Hominum enim labores et studia ex eo tantum intelligi possunt, quod Deus decursu historiae intendat hominum salutem, quod consilium revelavit Filii Sui incarnatione in plenitudine temporis et operatione huius incarnationis ad incrementum Ecclesiae atque ipsius mundi usque ad diem Domini. 80

8. (Quo tendat universum)

At, per donorum Dei superabundantiam hominum studia ditantur atque complentur, ultra civitatem terrestrem aedificandam, quae, quamvis grandis atque pulchra, tamen manet transitoria, imago civitatis venturae coelestis, quam recte exspectamus, si in hoc tempore fideles invenimur etiam quoad vocationem in civitate terrestri. Profecto, nobis, sub mortis iugo constitutis, Christus Iesus, Dei Filius unicus revelavit nos a Patre adoptatos esse, ut, in familiam Dei introducti, Deum cognoscamus, primo quidem fide, tunc autem facie ad faciem, ut in Eo ponamus spem Eique uniamur amore. Omnis potestas a Deo Patre Christo est tradita, in caelis et in terra, ut Iesus, cum sit vera lux, quae illuminat omnem hominem, nos perducatur ad cognitionem Patris, vitamque nobis largiatur, in spe novi caeli terraeque novae. Per Ipsum Deus iugiter omnia bona creat, sanctificat, vivificat, benedicit et praestat nobis. " Per Ipsum, cum Ipso et in Ipso est Tibi, Deo Patri omnipotenti, omnis honor et gloria." 85
90
95
100
Nova proinde hominis vocatio haec est, ut dona Dei accipiat, gratias agens, et fructum afferens in omni bono opere, in omnibus Iesum Christum secutus.

9. (Hominis vocatio et dignitas ne minuatur)

Quare haec Synodus christianos hortatur, ut memores sint magnitudinis suae vocationis. Profunda cum tristitia caecitatem deplorat eorum, qui sive docendo, sive agendo, hominum vitam ad terrestria tantum coarctant. Pluries Christus severe illos reprehendit, qui bonis terrenis immoderate inhaerent, eosque idololatriae Mammonis accusat. Hodie doctrinas, institutiones ordinemque laboris et otii saepe in eo convenire videmus, ut immensa desideria, hominum cordibus divinitus inserta, in cupiditatem possidendi terrena depravent. Scientia et technica progressa, aucta bonorum productio, quae sunt fructus et signa domini hominum super materiam, sic iam desinunt esse auxilia, quibus homo excrescat, ac saepe convertuntur in diros tyrannos et communitatum et singulorum. "Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?" 105
110
115

10. (Homo peccator indiget Deo)

Civitas terrena apte exstrui, solis hominum viribus, nequit. Natura humana, nobile creationis opus, a Deo innumeris annis formata, dum evolveretur terra, ab ipso depravata est homine, qui libertate 120

divinitus data abusus, benignae Patris voluntati restitit. Non desinit humanum genus experiri res secundas iniustitia, mendacio atque violentia dirui. Quae mala non ex eo tantum proveniunt, quod res oeconomicae, technicae, et scientiae adhuc satis progressae non sint; sed etiam sequuntur e singulorum superbia et "egoismo" et ex eo quod in peccato convenient multi. Peccatum enim ex intimis prorumpit hominis, qui ad vitam nequaquam resurget, nisi veteri homini mortuus erit. At nemo, suis viribus, maligni spiritus tentationes et servitatem peccati effugiet, ut novam agat vitam veramque assequatur filiorum Dei libertatem. Christus solus, peccati quidem nescius, peccato vero pro nobis mortuus, et a Deo omnium primus e mortuis suscitatus, hanc nobis largitur vitam. Quare donis divinis indiget homo, non solum ut gaudia assequatur aeterna, sed ut ipsam civitatem terrenam iustitia et caritate confirmet et exornet.

11. (Hominis vocatio est unica)

Camara: se plantea de nuevo siado pronto un problema inaceptable para mundos.

Duo hominis officia - ut regnum Dei consequatur et exstruat terrenam civitatem - sibi non opponuntur. Cultura enim terrena, negato fine et subsidio spirituali, fieret monstrum; dum ex altera parte, qui mundo meliori non insudat, Deum quaerit in vanum. Dei enim voluntas est, ut regnum caelorum crescat, sicut semen in terram missum, dum homo, qua creatura, officia sua exsequitur. Donec veniat Dominus, christiani versantur in mundo, sicut fermentum in farina. In mundo exercent amorem Dei, succurrendo imprimis miseriae fratrum. Sed mundus, mendacio et odio implicatus, eis peccati labem minatur. Quare incrementum fraternitatis atque iustitiae, non solum mandatum est caritatis sed etiam necessitas spiritualis. Divitiarum sane copia naturaeque dominatione, cor hominis ad Deum non convertetur. Ast nihilo secius dubitari non potest, quin homines, a nimia rerum inopia liberati, facilius bonos observent mores animumque aperiant rebus supernis. Quapropter homo, totis viribus communitatibus tam spiritualibus quam temporalibus, ad quas pertinet, inserviando, perficitur cognitione, moribus, spiritu. Nemo tamen, quamvis maiore vitae parte officiis terrenis occupatus, Deo agere gratias negligat nec sit oblitus quantum pretii sit cognoscere Deum. Item, qui, gratia vocatus, rebus divinis consecratur, vitae statu vel apostolatu, officia hominum terrena nequaquam despiciat. Omnes potius meminerint hominem spirituali cibo egere et materiali.

Philis: En la misma está la relación a lo temporal. No solo en la restauración sino al inicio.

135
140
145

Comunith: Falta mensaje de la cruz.

Haller: Peligro de caer de nuevo o hacia signos de lo temporal, o hacia dogmatismo.

150

Garrone: falta admiración y entusiasmo por el mundo y su evolución. De aquí la imp. de Heilbrunn de Chardigny. Tener fe en la grandeza del mundo.

155

Charme: que la Iglesia pregone su confianza en el mundo porque Dios está en él. Vox temporum vox Dei. Prignon: una cierta contradicción. Por una parte insensibles: contacto con el mundo; reconocimiento. Falta síntesis de Creación-Redención. || Mundo-Iglesia.

CAPUT II Ecclesia ministerio Dei et hominum dedita

12. (Introductio)

Nunc huic synodo tractandum est de Ecclesia, in quantum versatur in mundo. Primo mandatum relate ad mundum Ecclesiae impositum describet, deinde relationes eorum mutuas.

13. (De munere discipulorum proprio)

Iesus Christus, opere redemptionis, quod dedit Ei Pater, exacto, hoc opus dimitti noluit, e contra misit discipulos, ut omnes homines fierent salutis participes, spe resurrectionis. Apostolis eorumque successoribus mandavit, ut Evangelium omnibus populis nuntiarent, et omnes credentes congregarent in unitate caritatis, orationis et gratiarum actionis, eosque docerent, quae ipse praescripsit. 5
Apostoli a Christo acceperunt potestatem gratiae per sacramenta dispensandae et auctoritatem gubernandae Ecclesiae. Ipsi vero subiiciuntur Spiritui Iesu, qui est verum credentium vinculum. 10
Munus ergo eorum, quibus Christus gregem suum commisit, in eo consistit, ut opus prosequantur illius, qui venit, non ut ei ab aliis serviatur, sed ut Ipse serviret, ideoque ratione essentiali ad hominum ordinatur salutem. 15

14. (Quomodo Ecclesia ad potestates terrenas referatur)

*Thils: Fol. vj
esto al final del
capitulo.*

Apostoli eorumque successores ad homines mittuntur, ut eis annuntient unum salvatorem Iesum Christum, qui mortem devicit virtute Dei, qui Eum resuscitavit a mortuis. In quo apostolatu exercendo, eadem inniuntur potentia Dei, quae in Evangelii virtute manifestatur. Qui enim Verbo Vitae praedicando se devovent, utantur, oportet, subsidiis a Christo oblati, quae non sunt secundum sapientiam huius mundi. 20

Sine dubio, spiritualia et temporalia in hominum condicione arcte iunguntur, et Ecclesia temporalibus utitur, secundum proprii muneris naturam, quin tamen in privilegiis, ab auctoritate civili impositis, confidat. Imo facile iuribus quibusdam renuntiat, ubi primum constat, eorum usu, candorem testimonii vocari in dubium. 25

Quamvis sanam cooperationem eum istis potestatibus minime deneget imo eam exoptet, tamen imprimis ab eis postulat, ut vere libere fidem praedicare, et inter fideles munus spirituale expedita possit exercere, omnibus usa mediis aptis. Ecclesiae semper maxime cordi erit, ut promoveat, iuvantibus omnibus bonae voluntatis hominibus, veram spiritus libertatem, exclusa qualibet violentia, qua sincera fides posset adulterari. Evangelium enim, liberum hominis responsum evocat, cum nullo modo assensum mere externum intendat, sed e contra sinceram conversionem internam novamque vitam in Christo. 30 35

Ecclesia ceterum agnoscit potestates necessario esse distinguendas. Docet enim, christianos mandatis legitimis potestatum temporalium obligari, etiamsi fidem christianam non profiteantur, salvo sane officio praedicandi Evangelii, fidei profitendae, legisque divinae servandae. Ipsa Ecclesia, etiamsi interdum de rebus temporalibus iudicare abususque damnare debeat, tamen ditioni potestatis civilis interponi omnino renuit. 40

15. (Quomodo Ecclesia a mundo iuuetur)

Ecclesia libenter agnoscit in tot mundo operari eundem Spiritum Sanctum, cui ipsa suas innititur vires. Quare in illo confidit eique aures intendit : Propriam de inexhausto Christi thesauro cognitionem auget, dum omnia hominum studia, ad Deum unum inveniendum intenta, vigili observat oculo; admiratur vias innumeras, quibus Spiritus Sanctus, diversa familiae humanae membra, ad Christum perducit; magni facit divitias familiarum spiritualium necnon culturarum humanarum, quibus inveniuntur multiplicia dona a Deo Suae imagini concessa. Grato animo incrementa prosequitur scientiarum, quae circa naturam versantur, quibus sapientia creatoris operisque splendor refulgent. Simplici animo Ecclesia eos audit qui membrorum eius peccata defectumque spiritus evangelici obiiciunt. Ecclesia utique scit, Spiritum Sanctum sibi datum ut munera mundo distribuatur. Sed pariter scit, se ex hominibus constare, quorum ignorantia ac peccatis, fidelitas erga Spiritus dictamina interdum impediatur, sibi impositam esse reformationem continuam, usque ad finem temporum.

16. (Ecclesia exstruendae civitati terrenae confert opem)

Ecclesia Deo, omnium bonorum largitori, gratias agit, quod Spiritus Christi in ea habitat usque ad finem temporum, tamquam muddi fermentum, non solum ut homines ad Deum eleuet, sed etiam ut civitatem terrenam exstruat magis fraternam. Verbum enim Dei fons est verus, quo homines hauriant vim dimicandi pro iustitia et caritate augendis, ac contra oppressionem inter homines aequales. Istud Ecclesia servat fideliter tamquam thesaurum immutabilem, ex quo, pro mundi salute, vetera et nova proferre non desinit, revelando omnibus hominibus, ne uno quidem excluso, dignitatem filiorum Dei totiusque creationis. Ecclesia, dum homines iuvare non cessat, ut intelligant valorem moralem et spiritualem omnium actionum humanarum simul cum periculo erroris inibi fortasse abscondito, humanam conscientiam sensim mutavit. Lex caritatis ab Ecclesia omni actioni praeficitur, et ipsa, materna caritate compulsa, totum amplectitur hominem. Quare, secundum cuiuscumque aetatis necessitatem, mundo proponit doctrinam sociale, qua praesertim pusilli et humiles tractantur, sicut dignitatem humanae personae decet. Quare et ipsi inimici, non raro Ecclesiae linguam adhibent, ut a miseris intelligantur et culmina studiorum suorum exprimere quaeant. - Quae sana doctrina non docet, qua arte technica removeri possint angustiae, sed sua doctrina, e primis principiis iustitiae et caritatis orta, totum hominum genus illustrat. Dona Christi Ecclesiae commissa, quorum vim frugiferam sanctorum hominum vitae produunt, multos, decursu saeculorum, christianos excitaverunt, ut, humiles, servitio eorum se devoverent, qui hominum pauperrimi, maxime derelicti atque despecti sunt. Quae traditio exemplo fuit omnibus institutionibus, quibus populi hodie hominibus succurrunt. Porro Ecclesia, quidquid sit de debilitate ac discordia, in sinu suo inventa, mundo innumera praebet exempla vita communis atque fraternae. Profecto, qui attente arborem e fructibus diiudicare intendunt, in ea, praeter humanos defectus, illum operantem dignoscent, qui venit in mundum, non ut iudicetur mundus, sed ut salvetur.

CAPUT III

De ratione christianorum

sese habendi erga mundum in quo vivunt

17. (Introductio)

Ut christifideles Spiritu ducti magis semper conformes fiant Christo Iesu et melius testimonium et servitium suum praestent eis qui ad-
spirationibus suis Lucem quaerunt cuius nomen nondum cognoscunt,
haec S. Synodus sollicite Ecclesiae filios instruit, quomodo hac nostra
aetate fidelitatem Evangelio debitam splendescere faciant. Haec est 5
enim voluntas Dei ut unusquisque praesenti tempore salutis sic utatur,
ut non solum suam propriam vitam in Christo instauret, sed etiam
eodem spiritu suas partes assumat in omnibus communitatibus cuius
particeps est; unde etiam in vita familiari et sociali "novus modus
sentiendi, volendi et agendi" appareat. 10

18. (Fundamentales condiciones occurrendi mundo christiano modo)

Caritas, lex suprema nobis a Christo data et amorem tam Dei quam
hominum complectens non solum prohibet, ne faciamus malum, sed
urget nos, ut reperiamus proximum nostrum in omni homine egestate
spirituali vel materiali oppresso. Novae possibilitates novaque
pericula sunt tot rationes, ut christiani, qui sunt lux in Domino, sint 15
ita lux mundi, ut ex fidelitate eorum in caritate nationes et homines
singuli cognoscant. Quare omnes fideles solemniter monemus,
officia a caritate et iustitia hodiernis temporibus specialiter imposita
a divina providentia libenter accipiant :

a) Necessarium est, ut christifideles meliorem in dies notitiam 20
acquirant de necessitatibus spiritualibus, moralibus, culturalibus
et materialibus reiecto omni discrimine stirpis, nationis vel
condicionis.

b) Haec informatio, cum caritate coniuncta, dilatabit corda fidelium 25
ultra limites familiae, loci vel nationis, et eos coadunabit ad
actionem iuxta dimensiones Ecclesiae universales et mundi
concipiendam.

c) Christianus qui conscius est de sua natura sociali et de condicio-
nibus actionis efficacis, praesertim in mundo hodierno, libenter
partem habebit in organisationibus necnon actionibus communibus , 30
speciatim cum ad hoc ab Ecclesia invitatur.

d) Christianus non potest non cordi habere progressum scientiarum
quippe quae suo modo mirabilia hominis et totius operis creationis
Dei gradatim melius manifestant. Unusquisque, si casus fert, iuxta
propriam virtutem ad hunc finem valebit. Genuinus spiritus fidei non 35
permittit timorem conflictus indissolubilis inter fidem et veram
scientiam.

- e) Hominibus nostri temporis tam avidis maioris iustitiae praesertim iuvenes christiani effusius collaborationem praebeant, suam fidelitatem erga evangelium comprobantes. Meminerint propterea in eligendo vitae genere omnem vocationem a Deo intuitu proximi et communitatis dari. Serio ergo perpendant an Deus se ad directum evangelii servitium invitet; valeant secus vocationem suam terrenam eligere in plena luce caritatis. 40
- f) Nemo ergo peccet per omissionem prae oculis habens dura verba Domini de iis qui ipsum in fratribus nolint agnoscere; et unusquisque talenta sibi tradita fructificare faciat. 45

19. (De interiori renovatione in spiritu paupertatis)

Scientiarum divinarum et humanarum zelus, technicarum artium incrementum, praesertim si haec omnia excoluntur ad tollendas angustias spirituales et materiales generis humani non sunt minima pars caritatis, sed eam nullo modo exhauriunt. Nec mera communicatio aliquorum bonorum materialium in melius vertet sortem inopum : 50
ipsis etenim competit ut per seipsos usque ad adeptionem verae vitae divinae et humanae crescant. Quomodo autem id attingent nisi Evangelium acceperint, et quidem per praedicationem et testimonium vitae, quae eos convincant. Cum autem pauperum evangelizatio sit signum praecipuum adventus Regni Dei, ad hanc perficiendam omnem curam impendant christiani : habitus fratrum suorum quasi induant, solvendo seipsos a propriis ambitionibus et commodis, ita ut in tota ratione vitae elucescat invitatio Domini ad omnes homines bonae voluntatis; patiantur cum patientibus, fleant cum flentibus, pauperes fiant cum pauperibus propter Christum, quoniam propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus; omnia omnibus fiant ut omnes lucrificent; ab implendo hoc sacro munere neminem ex nostris distrahat cupido divitiarum quae inter eos iniustitiam gignat et vires eorum a ministerio proximi avertat; propriam suam carnem ne despiciant christiani; ne quiescant in copiis dum sciunt tot homines egestate et fame vexari. Quod coeteroquin ipsis pignus erit interioris libertatis, optimi doni Dei. 65

20. (De spiritu "dialogi")

Firmitas fidei et ardor caritatis nos impellunt, ut tractemus cum omnibus hominibus bonae voluntatis, etsi nunc temporis aliqui nobis diffidere videantur. Vera etenim caritas, iniuriarum immemor, in omnibus quaerit unitatem, quae in huius vitae peregrinatione non fit nisi per gradus. Sincerus et sine fictione sit talis "dialogus" qui thesaurum fidei plene dilargiatur verbo et exemplo. Dignitas autem aliorum et praeprimis gloria Deo reddenda qui in eis operatur exposcunt, ut christiani illos in simplicitate audiant et libenter recognoscant quaecumque sunt vera, quaecumque bona, quaecumque iusta. Sapientiam et prudentiam a Deo exposcant, ut cum cognitione semper altiore fidei suae idonei fiant ad propriam spem cum aliis communicandam et ad discernendum quod est iuxta Christum. Ad hoc multum confert spiritus verae humilitatis et abnegationis in prosequendo vero et bono. 70
75
80

Nunc autem cum valde intersit ut circa varia problemata humana
efficax sit haec tractatio, monentur christiani de momento sese con- 85
gregandi, numquam spiritu peculiaria appetente vel pusillanimi, sed
prompti ad condiciones huius dialogi implendas, quod hodie saepe
per communitates, non per solas personas individuales, evenit.
In aliis autem institutionibus christianis propriis et necessariis invi- 90
gilent ut spiritus caritatis, animus apertus et adiutricis operae
studiosus vigeat. Ne multiplicentur autem instituta peculiaria
temporalia quoties e natura rerum vel ex adiunctis satis constat
cooperationem cum aliis, praesertim fratribus seiunctis, intra
ambitum unius communis institutionis fieri posse. In institutionibus 95
internationalibus officialibus hodie tanto vigore crescentibus operen-
tur christiani pro viribus, singulariter vel coniunctim, libenter et
sincere, sine spiritu vani "proselytismi", sed cum animo ministerii
praestandi et testimonii fidei suae in simplicitate filiorum Dei reddendi.

CAPUT IV De muneribus a christianis
nostrae aetatis implendis

21. (Introductio)

Fundamentis atque interioribus christifidelis condicionibus ad verum
Christi testimonium in mundo tradendum delineatis, aestimat S. Synodus
quasdam populorum urgentiores necessitates esse nunc in memoriam
revocandas ut principia e luce Christi manantia, quibus illis mederi
possit, clarescant tum christifidelibus tum omnibus hominibus bonae 5
voluntatis.

22. (De dignitate personae et familiae)

Omnes intendunt animum hodie in integram hominis a quacumque
iniusta servitute liberationem atque profectum ita ut plene agnoscatur
uniuscuiusque dignitas simul ac securitas in labore, otio, tota vita 10
ducenda huic dignitati conformiter, adversis non obstantibus circum-
stantiis. Votum istud ut fructum praedicationis Evangelii universae
creaturae Ecclesia laetanter agnoscit, atque filios suos, immo omnes
familiae humanae sodales vehementer hortatur ut in hac via viriliter
at constanter progrediantur. Iam enim inde quidam optimi prodiere
fructus uti sunt intensiores in dies conatus ad servitutem mancipiorum 15
penitus abolendam; mulieris socialis civilisque promotio suae
dignitati conformis; universalior aditus ad studia altioremque
culturam; opificum dignitatis atque iurium praesertim iuris ad
laborem agnitio atque vindicatio; profundior rei politicae responsabi-
litas moralis etc. Quae omnia ut a principio fontali a persona 20
hominis emanant, qua ad imaginem Dei creata et a Christo redempta;
ex hac divino-christiana dignitate personae hominis queunt christi-
fideles enucleare atque statuere iura et officia, quae aliunde homini
natura conveniunt.

At dum haec libenter S. Synodus in memoriam revocat, cogitur alia
moerenti animo anxie conspicere. Etenim quandoque externa tantum
libertatis forma concessa, servitus perseverat in re politica, et
sociali et oeconomica, immo et in cultura, et arte et, in sat momenti,
quam dicunt "publica opinione". Unde non raro ipsa moderna cultura,
"publica opinione" e veritate detorta, nova invenit atque diffundit
quibus dignitas personae violatur et aegre vita hominis evolvitur
atque perficitur. At quod est valde dolendum, dum effectus luctuosi
publicis vituperantur in foliis et aliter, iisdem foliis causae cele-
brantur. Quodsi quis in causas insurgat, ut retrogradus, ut incivilis,
ut attentator libertatis artisticae, culturalis, politicae, ut "integra-
lista" vilipenditur. Ita sub specie veritatis, libertatis, artis, error
et ut plurimum recondita paucorum auri sacra fames personam
enervat et mancipat. Velint christifideles intrepide libertatem personae
vindicare, omni pessimismo abdicato, quin tamen incidant in angustam
mentem ex qua oriri solet funestus "integralismus", et ita argumenta
personam enervantibus praestare. 25 30 35 40

Arcte cum personae dignitate nequitur dignitas familiae tuenda. Ius
enim primordiale personae est certe familiam condere, quod in Christo
et in Ecclesia fit a christifidelibus sacramentaliter et in caritate
Christi; unde ipse Christus totalis augetur et auget. Ad hoc obtinendum
strictum est ius familiae ad bonorum copiam, sine qua educatio
religiosa et civilis fieri nequit. Agnoscendum est non pauca hodie in
societate fieri quae iura familiae vindicant et muniunt. At saepe
crebras inter insidias familia cogitur spiritualiter, civiliter, oecono-
mice, culturaliter, recreative incedere; unde non raro familia
naufragio perit. Ipsa institutio in sanctuario domestico, quae usque-
dum tam foecunda tum individuis tum ipsi societati fuit, hodie novis
inventis a recto usu detortis, evertitur. Quodsi patres et matres-
familias protestantur, ut suum est strictissimum ius, publice in
foliis immo et in publicis consiliis vituperantur. 45 50 55

Et ad ipsos sponso S. Synodus sese convertens, agnoscit illos novis
in adiunctis pluribus angi difficultatibus et ideo quaestionibus in sua
vita intima; neque de difficultatibus agi quae tantum ex defectu in
praeparatione christiana nascantur; agnoscit S. Synodus difficultates
vere esse reales, ex condicionibus vitae exortae, tum quoad incre-
mentum, tum quoad institutionem filiorum quae sit digna personarum
in fieri. Quare S. Synodus sollemniter vocat moralistas, peritos,
pastores, viros in scientiis excultos et ipsos sponso experientia et
scientia doctrinaliter et "realistice" edoctos, ut sua profundiori
investigatione lux et iuvamen inveniri possit. Utique religiose servan-
da est lex Dei. Sed in hoc erit continuo opus profundioris investigati-
onis : ut ordo a Providentia naturae inditus, secundum diversos
gradus inter se ordinatos et subordinatos et ideo maiori vel minori
necessitate servandos, clarius cerni possit. Hoc hodie melius quam
antea fieri potest, vi profundioris cognitionis legum naturae earum-
que interdependentiae quoad ordinem valorum. In mentem sponso
paterna cura pastorali revocat S. Synodus matrimonium christianum
tum naturaliter, tum praesertim qua sacramentum esse nobilissimam
institutionem quaesingulariter illos unit in societate mutua et 60 65 70

inseparabili, quae est in Christo et Christi societas. Ex qua societate dum ipsi mutuo auxilio sanctificantur, prolis generationem ut bonum ipsius Christi animo grato mutuatur et ideo simul facile componere possunt sanam generositatem cum responsabilitate plene conscia. 75

23. (De progressu generis humani ut est opus iustitiae et caritatis.)

Ad amplissimam praeoccupationem quae mundum hodie angit, nempe ad evolutionem politicam, culturalem, oeconomicam et socialem populorum, non potest S. Synodus silentio praeterire factum quod premit vitam populorum et ut scandalum sumitur, impie quidem sed non sine execranda culpa multorum, ad Providentiae paternae Dei maledicendum. Dum enim quaedam nationes, quarum saepe maxima incolarum pars nomine Christi sese appellant, ex magna bonorum copia vivunt, aliae non tantum copia sed et minima sufficientia bonorum privantur, unde crudelissima fames, et consequentes morbi et omnigena miseria eos torquet. Quae rerum conditio eo perniciosior est, quod numerus gentium quas illa premit in dies crescit. Sine dubio liberatio ex istis malis ad gentes ipsas quae fame premuntur immediate pertinet; attamen solidaritas familiae humanae, immo vocatio ecclesialis quae ad omnes gentes extenditur, et ideo omnes unit in Christo, compellit ut omnes ut suam aesiment famem aliorum, et exemplo Christi, misereantur super turbam famelicam. Ista universalis assumptio quaestionis de fame gentium eo magis obligat omnes, quo maiora et graviora sunt auxilia quae liberatio a fame exigit, quibus famelicae gentes absolute privantur: nullo modo "habent quod manducant". Unde certum est primo loco tali obligatione teneri pauperum concives, qui suis divitiis fruuntur et opes sibi largitas inservire faciunt ad satisfaciendum privatis vel etiam nationalibus ambitionibus, quin ad sublevationem fratrum suorum efficax opus praestent. 80 85 90 95 100

Sed omnino certum est etiam gravissima obligatione teneri ad opus iustitiae et caritatis omnes illas nationes quae non solum divitias materiales in promptu habent sed etiam media technica et scientifica quibus divitiae et bona parantur vel extrahuntur industria hominum, et insuper alte et efficaciter dominantur organisationem quam dicunt oeconomicam mundi in distribuendis et commutandis bonis. Nisi radicaliter organisatio ista expurgetur ag egoismo consociationum, classium, nationum, sectarum politicarum a recta politica arte aberrantium, nulla efficax via inveniri potest sublevandi gentes quae evolutionem e miseria anhelant. Quodsi autem ad istam radicalem reformationem deveniatur, solvetur alia gravis quaestio, nempe quaestio quae dicitur "demographica"; quae oritur non ex natura sibi relictas, uti asseritur; quasi natura debeat ab egoismo individuali vel nationali corrigi. Quaestio "demographica" supponit plenum omnium terrae bonorum usum, secundum ordinem a Deo statutum et a Christo in Evangelio alte de novo vindicatum, qui ut exemplum daret, coepit facere antequam doceret, et ita monstravit qualis esse debeat usus evangelicus bonorum. Omnia igitur bona terrae in realem usum communem omnium poni debet, quod si fiat fami gentium medetur et quaestio demographica aliis etiam mediis adhibitis, solvi potest. Ad hunc finem requiritur ut omnes homines singulatim et associate plene conscii sint de sua responsabilitate de miseria mundi 105 110 115 120

sublevanda et de observando ordine naturae relate ad bonum prolis, ad bonum totius familiae, et ad bonum commune aliarum gentium. 125

Omnibus sitientibus pacem semper et iterum dicendum est illam esse praeprimis fructum constantis atque tenacis conatus ad legitimam autonomiam tribuendam populis etiam quoad proprium territorium, ad spiritum sincerum variarum culturarum servandum et perficiendum, ad proprii patrimonii incrementum. Haec autem ita fieri debent 130

ut non incidatur in vindicationes quae harmoniam familiae humanae vel eius partis perturbent, et ideo, ut habeatur bonum minus producat malum maius. In his omnibus partes magni momenti habent hodie institutiones internationales, quae fere omnes Nationes orbis amice componunt ad problemata solvenda quin ad violentiam deveniantur. Valde igitur interest Institutiones istas roborari et perfici ut 135

de die in diem spiritus fraternitatis et mutui auxilii gentes regat. Nulla mora in hoc munere implendo tolerari potest; proinde S. Synodus omnes christifideles vehementer hortatur ut id pro viribus obeant, publicam opinionem fingendo et illuminando; sanum influxum exercendo in consulta publicae Auctoritatis suae exercitio iurium 140

civilium et politicorum, et, si casus fert, officia sibi commissa implendo. Ne animo deficient propter magnitudinem laboris et dum iste semper augetur, meminerint omnes in tam necessaria actione ipsi Christo in fratribus praesenti se servire. 145

24. (De pace servanda)

Tantus est horror qui genus humanum occupat circa miseras immanes ex bello oritur et minationem conflictus qui totam destrueret familiam hominum, ut omnes publicae potestates voluntatem pacis servandae enuntient. Tamen mundus est plenus strepitus belli et violentiae, excitationes et odii, invidiae et diffidentiae. Unde videtur 150

quandoque bellum potius paritate virium in terrendo quam germano spiritu cooperationis retardari. Sed ea non est pax a Christo praedicata et non erit firma pax, nisi unitas nationum spiritu caritatis et iustitiae ducatur. Christiano non satis est solo timore bellum excludi et qualibet ignavia pacem servari. Pax a spiritu pacis gignitur qui 155

exterius in operibus elucere debet; quapropter maxime dolendum est quod nonnulli favent incremento paene indefinito bellicorum armorum, cum saepe expensae ad hoc factae melius in opus promotionis populorum adhibeantur.

Cum insuper praesenti tempore arma tantam vim acceperint ut partes non modicae orbis bello "nucleari" destrui possent, graviter damnabilis est a Deo et ab hominibus qui tale bellum "nucleare" sua sponte conflent. Gravis est igitur obligatio ad laborandi ut etiam periculum talis belli penitus excludatur, tum conventiones internationales ineundo tum 160

vigilantia efficaci Auctoritatis internationalis ita ut pacta serventur. 165

Quae auctoritas optimam praeberet ansam ad negotiationes quibus conflictus vitetur, vel etiam iam ortus conflictus pacifice tollatur. Cum pax multum e voluntate et consiliis Moderatorum civitatum pendeat, eos solemniter admonet S. Synodus gravem esse eorum obligationem ut omni opportunitate utantur ad conflictus pacifice 170

tollendos et pacem mundi firmandam atque tuendam.

25. (De spiritualibus necessitatibus hominum sublevandis)

Denique S. Synodus christifideles monet thesaurum quod ipsi a Deo acceperunt, nempe fidem in Christum Salvatorem, etiam multo minus quam divitias materiales ad ipsos solos pertinere. Ignorantia religiosa, deficiens spes christiana in tot animis, magis cor eorum urgere debet 175 quam paupertas materialis. Unusquisque christifidelis suum esse noverit verbum Dei et fidelitatem Christo ita servare ut non ipsi soli prosint sed omnibus quibus testimonium de vero fonte gaudii nostri, Christo ipso, afferendum est.

Iuvenes praesertim invitationem Christi tot animo audiant : "Messis quidem multa operarii autem pauci". 180

CONCLUSIO

Spiritus Sanctus Synodum compulit et duxit in viis investigandis quas Ecclesia hodie inire debet ut semper conformior sit Christo. Voluit ita votis omnium hominum, quibus in votis quasi Spiritus Dei signa discernit, respondere; et quidem non tantum filiorum Ecclesiae catho- 185 licae, sed et eorum qui foris stant. Hos in fine peramanter S. Synodus alloquitur ut Christi nuntium, gratia et veritate plenum, illis tradat.

Imprimis complectitur animus noster fratres in Christo, a plena com- munionem nostra adhuc distantes, sed cum quibus in caritate vinculis spiritualibus coniungimur, in confessione Patris, Filii et Spiritus 190 Sancti. Memores simus omnes unitatem christianorum a totogenere humano, immo a tota creatura mundi hodie vehementer optari et exspectari, cum ex hac unione non tantum efficacior caritas in Dei servitium speretur, sed etiam signum actionis Spiritus Dei ad unitatem et pacem in terra fovendas. Coniungantur ergo conatus nostri non 195 solum per studium fidei nostrae sed etiam in fraterna cooperatione in servitium totius familiae humanae, qua familiae Dei et Christi eius. Omnibus hominibus bonum quaerentibus, iis praesertim qui unum Deum confitentur, proponimus collaborandi voluntatem nostram in opere pro- gressus generis humani. Certo non cogitat Ecclesia de munere suo a 200 Christo accepto minuendo et de divitiis spiritualibus abscondendis; sed firmiter sperat omnes homines bonae voluntatis in illo proposito non obstaculum sinceræ cooperationis visuros, sed potius, quod res est, manifestationem desiderii sui omnia officia sibi a Christo concredita cum amore hominum implendi et perficiendi. 205

Ad eos tandem cum amore sincero nos convertimus, qui Ecclesiam nondum diligunt, ei obnituntur, vel etiam eam persequuntur; non solum ut iis ignoscamus sed etiam ut nos veniam petamus, si quid in christia- norum defectibus eis offendiculo fuerit. Eos deprecamur ut Ecclesiae attentius studeant et simul condiciones accessus hominis ad plenitudi- 210 nem suae vocationis ponderent. Nos indesinenter oramus ut meditatio sincera et constans huius vocationis perducatur eos ad revelationem Evangelii et ad Personam Christi.

Haec est spes exultans Ecclesiae : " Occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis 215 plenitudinis Christi " (Eph. 4, 13).

"Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen". (Ep. 3, 20 - 21).